



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 28. Fidei Catholicæ incrementa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

rat clavem S. Scripturæ, tractatum de Sæc. XVII.
Calvinianorum ortu, progressu, & exitu, A. C. 1613.
 necnon *Panopliam seu armaturam Theolo-*
gicam, artificium oratorium, & artificium
disputandi, præter duos sermones in
 Psalmum nonagesimum.

§. XXVIII.

Fidei Catholicæ incrementa.

Eodem anno, quo Calvinianæ hære- Serres
 sis furor Patres Carmelitas Discal- Franc. hist.
 ceatos (*), dictique Ordinis Virgines pag. 423.
 Religiosas e Sylvaducensi urbe die vi- Miræus
 gesima quinta Novembris expulit, Hie- Script.
 remias Ferrerius natione Gallus, Cal- Sæc. XVII.
 vinista apud Nemaufenses celebris, Amelot.
 hujusque sectæ Minister, Calvinii vene- mem. t. 2.
 num evomuit, atque ad fidem Catho-
 licam reversus est. Cum autem anno
 Domini millesimo sexcentesimo secundo
 pro veteri hæreticorum more Clemen-
 tem VIII. esse Antichristum edito libel-
 lo propugnasset, postea cognito, deploro-
 ratoque suo errore eleganter ac docte
 ipse perversum suum dogma de *Anti-*
christo confutabat. Postquam vero Ne-
 P 5 mau-

(*) Hi anno 1630. die prima Julii domici-
 lium suum apud Ubios postea fixerunt, opi-
 tulante Ferdinando Bavarix Duce ac, Colo-
 niensi Archiepiscopo.

Sæc. XVII. mausenses Calvinistæ Pastorem suum
 Sæc. 1613 ad Catholicorum castra transiisse com-
 pererant, inde graviter commoti, om-
 nes debitæ moderationis limites exce-
 dere, prout fieri amat, quando bellua
 hæc multorum capitum, ut inquit Ser-
 ranus, irritatur; cum enim in Ferre-
 rium vindictam exerere haud possent,
 in ejus domicilium tam impotentibus
 furiis sæviebant, ut direpta ac confra-
 cta omni suppellectili etiam libros igni
 comburerent, nec his contenti, illius
 quoque vineas, arboresque excide-
 runt, fruges destruxerunt, nullumque
 furoris ac insanix genus prætermise-
 runt, Magistratu furiosos eorum cona-
 tus sistere necquiquam adlaborante.
 Delati igitur ad Senatum Regium, gra-
 viter seditionis, perturbatæque pacis
 publicæ rei postulabantur, Rex vero
 in tam nefarii tumultus authores in-
 quiri, deprehensosque legum severitate
 plecti jussit, simulque tribunal ac Cu-
 riam Nemausio in vicinum oppidum
 nomine Bellocarium, ut deinceps ibi
 jus diceretur, transferri præcepit. Hac
 demum ratione sopita est hæc seditio,
 ac Calvinianæ Inquisitionis sævitia,
 quam nec Evangelica mansuetudo nec
 veritatis amor, sed Catholicæ Religio-
 nis odium, quod Calvinistas in sectæ
 suæ fanatismo detinet, hisce tumul-
 tuan-

tuantibus inspiraverat. Felicioribus Sæc. XVII.
 auspiciis eodem anno Galli ex Marag- A. C. 1613.
 nano, Infula Orbis novi, redeuntes,
 inde sex incolas, quos Topinambosios
 nuncupant, secum advexerant, qui
 postea ejurata superstitione Lutetiæ Pa-
 risiorum ab ejusdem Urbis Episcopo
 Mense Junio Sacrosancto æternæ salu-
 tis fonte abluti sunt, magno totius Au-
 læ, urbisque concursu ac lætitia. Quo-
 niam vero bellum hæreticorum plerum-
 que pax sit Ecclesiæ, haud exigua e-
 tiam eidem accessio facta est in Galliis
 per diffensionem, qua circa Verbi incarna-
 ti unionem hypostaticam, aliaque Chri-
 stianæ fidei Mysteria Molinus & Tile-
 nus Calviniani Ministri inter se acriter
 digladiabantur, quin solius Scripturæ
 Sacræ gladius, quo quilibet erat præ-
 cinctus, hunc nodum discindere potuerit.

Eodem hoc anno Samuel Fridericus
 Brenzius natione Germanus a Judaica
 superstitione transire meditabatur ad fi-
 dem Christianam, quam etiam, uti-
 nam in Ecclesia Catholica! anno se-
 quenti professus est, ac paulopost libel-
 lum edidit, sub titulo: *descrip̃ta Judaic̃i*
serpentis cuticula: in hoc tamen libro Ju-
 dæis vera vel falsa, atrocissima tamen
 scelera, impietates, ac sacrilegas blas-
 phemias exprobrabat, uude quidam
 alius Judæus nomine Salomon Zebi li-
 brum

Sæc. XVII
 A. C. 1613. brum mendaciis oblitum adversus Bren-
zium publici juris fecit, ita inscriptum:
Theriaca Judaica, ubi tamen opposito
 excessu suæ gentis vitia novis menda-
 ciis nimium excusare nitebatur, Utrius-
 que vero Authoris libros postea Joannes
 Wülserus latine reddidit, notisque
 castigavit: ad decem autem illa funda-
 menta, quo comprobare nitebatur, quod
 Jesus in Talmude nominatus non signi-
 ficet Christum Salvatorem nostrum,
 Joannes Andreas Eisenmenger Calvi-
 nista in suo *Judaismo detecto* solide
 respondit.

§. XXIX.

*Heterodoxorum Sodalitas recens
 erecta.*

Arnold
Ketzer hist.
 p. 2. l. 17.
 cap. 18.
Kortholt hist.
Eccles. Sæc.
XVII.
 sect. 1. c. 2.
Malvasia
 cent. 16.

Ad hunc annum nonnulli referunt ori-
 ginem fanaticæ Sodalitatis, quam
 Calvinistæ, Lutherani, atque ex va-
 riis sectis nonnulli sub specioso nomine
Rosæ Crucis, seu *invisibilium*, & *immor-*
talium, excogitarunt. Diversa est Do-
 ctorum sententia de illius Authore,
 quem nonnulli Valentinum Weigelium
 Pastorem, alii Rosium vel Christianum
 Rosencreuz, aut Joannem Andreæ fuisse
 dicunt: Nicolaus quoque Hunnius
 Wittenbergensis Theologus testatur,
 hanc societatem fuisse partum Calvini-
 starum,